D. O. M.

THESES PHYSIOLOGICÆ

PUBLICIS AGITANDÆ DISPUTATIONIBUS

IN SCHOLIS MEDICORUM

ACADEMIÆ CADOMENSIS,

PRO BACCALAUREATUS GRADU CONSEQUENDO,

M. PETRO ANGO, Professore Regio, Præside.



CADOMI,
Ex Typis ANTONII CAVELIER, Regis & Academiæ Typographi.

M. DCC. XIV.





THESES PHYSIOLOGICÆ.

I.

MEDICINA à medendo sic dicta, rectè definitur Ars ad corporis humani sanitatem tuendam, morbosque profligandos comparata. Duplex vulgò distinguitur, Theoretica scilicet, quæ præcepta tradit; Practica verò, quæ tradita adhibet. Theoreticæ tres numerantur partes; Physiologia, quæ hominis integrè sani naturam scrutatur: Pathologia, quæ affectus homini præter naturam supervenientes persequitur; Semeiotice, quæ signa quibus morbi dignoscuntur, eorumque exitus prædicitur, explicat.

II.

PRACTICA duas habet; Hygieine, quæ accommodatam victûs rationem decernit; Therapeutice, quæ medendi rationem præscribit, Diætâ, Chyrurgiâ, Pharmaciâ perficiendam. Tres fuerunt præcipuæ Medicorum sectæ, Empyricorum scilicet, Methodicorum, & Dogmaticorum; quibus diligenter & accuratè perpensis, Dogmaticorum sectam cæteris anteponendam arbitramur. Elementi nomine, corpus simplicissimum è quo omnia componuntur, intelligimus.

III.

CHYMICI quinque elementa admittunt, spiritum scilicet, oleum, sal, aquam, & terram: hanc opinionem sequimur. Temperamentum est apta & conveniens elementorum in mixto corpore proportio. Tria porrò ad temperamenti rationem requiruntur, certa scilicet elementorum copia, mixtura, & contemperatio, è quibus fluunt omnes, quæ in mixtis corporibus deprehenduntur, qualitates. E varia eorumdem copia, mixtura, & contemperatione,

temperamentorum differentiæ emergunt; hinc famosa illa nomina melancholici, sanguinei, pituitosi, & biliosi.

IV.

CORPUS solidis & liquidis partibus constat. Pilos & ungues inter veras partes meritò numeramus. Omnes corporis partes suam habent à cerebro originem, quod è fibrillis constat, è quibus ulterius ductis, & ad sese propius accedentibus, cerebellum, ac medulla, tam oblongata, quàm spinalis, conflantur; è fibrillis simul nexis fibræ; ex his in fasciculos collectis nervi, ex iisdem simul intertextis membranæ, è quibus in orbem plicatis cavitates tam sensiles, quàm insensiles formantur: illæ ipsæ si secundùm quamdam sui superficiem se tangant, tendines; si secundùm majorem, cartilagines; si secundùm maximam, ossa constituunt.

V.

FERMENTATIO est particularum, quibus corpus constat, motus intestinus & turbulentus ad mutationem efficiendam comparatus. Fermentatio fit acidi cum alkali conflictu. Illâ peractâ, nullum remanet vel alkali, vel acidum, sed ex utroque factum purè salsum. Ea ad fermentandum apta sunt corpora, quæ partibus constant non solùm subtilibus, sed etiam crassis, quæ subtiles irretiant, ab hoc enim renisu pendet fermentationis motus: hinc quò major est particularum, quæ fermentum, corpusque fermentandum constituunt, dissimilitudo, eò vehementior concitatur fermentatio.

VI.

FERMENTA constant particulis tenuissimis, angulis pluribus inter se dissimillimis: liquida citius & fortius, quàm solida vim suam exerunt. Glandulæ sunt secretionum organa; eæ verò vel conglobatæ sunt, vel conglomeratæ; illæ fibris constant, & vesiculis, è quibus vas lymphaticum ducitur; hæ verò plures sunt glandulæ in unam molem congestæ, communique membranâ involutæ, è quibus singulis peculiaris tubulus proficiscitur.

VII.

SECRETIONIS nomine quamdam particularum ab uno eodemque liquore separationem intelligimus: alia simplex est, alia mixta; in illa subtiliores tantùm liquoris particulæ à crassioribus separantur; in mixta verò crassiores ejusdem generis non solùm ab aliis crassioribus, sed etiam à subtilioribus, quæ in liquore remanent, secernuntur. Saliva liquor est serosus ac lympidus, à sanguine per faucium & oris glandulas secretus, qui per vasa salivalia in os fluit.

VIII.

ARTERIÆ, non nervi, ejus materiam suppeditant: saliva constat particulis tam acidis, quàm alkalinis; hinc summâ incidendi ac penetrandi vi

pollet; alimentorum in ore fermentationem inchoat. Chylus eſt ſuccus lacteus ex alimentis in ventriculo elicitus: ventriculus continet liquorem, qui cibos penetrat, diſſolvit, & in chylum commutat: plurimi liquorem ejuſmodi acidum volunt, nos inſipidum eſſe contendimus.

IX.

FAMES moleſtus eſt irritationis in ventriculo, ſitis autem in œſophago ſenſus: famis cauſa eſt ventriculi fermentum, quod ſalſis ſuis particulis agit in alimenta, cùm ventriculus illis repletur. Sanguis è chylo elicitur, iiſdemque principiis conſtat. Quidam ſanguinem in pulmonibus ruborem ſuum aſſequi propugnant: ſtatuimus chylum recentem in vena tum ſubclavia, tum cava jam immutari, frequenti cum ipſo circuitu magis dividi, tandem in pulmonibus ab aëre ita conteri, ut quædam ejus particulæ ſanguinis, aliæ liquoris cryſtallini naturam induant: ſanguinis circuitus per totam vitam continuus eſt.

X.

NUTRITIUS liquor à cryſtallina ſanguinis portione proficiſcitur: continua eſt ſucci nervoſi per cerebri glandulas ſecretio, perennis per tubulos diſtributio, ac per nervos in partes ſingulas influxus. Cùm nulla penè ſit corporis pars, quæ glandulis non perfundatur, nulla eſt per quam lympha quædam inſipida non cōletur, quæ per vaſa lymphatica ideò dicta in cor tandem cum ſanguine refluit. Pinguedo liquor eſt, qui à ſanguine per cutis, omenti, mezenterii, renum, lumborum, ac muſculorum glandulas ſecretus, per peculiares ductus in ſacculos effunditur, è quibus per venas cum ſanguine ad cor redit.

XI.

SUDORIS materia à ſanguinis ſero per cutis glandulas ſecreto proficiſcitur. Cùm ſpirituoſæ & aquoſæ ſanguinis particulæ; hæ propter flexibilitatem, illæ propter tenuitatem in fermentationis opere faciliùs ab aliarum conſortione expediantur, per cutis glandulas & tubulos inſenſibiliter tranſpirant; cujus perſpirationis inſenſilis cauſa à ſanguinis fermentatione, quæ quò vegetior eſt, eò copioſior eſt perſpiratio, repeti debet. Datur quidam mucus, qui inteſtinorum interiorem membranam obducit.

XII.

LIENEM fibrarum, cellularumque congeriem eſſe demonſtrat Anatomia: ſanguis in ejus cellulis plurimùm immutatur. Bilis ſale lixivioſo, volatili & fixo, ac oleo potiſſimùm conſtat; ſpiritûs etiam aliquid, aquæ ac terræ continet. Continua eſt bilis per hepatis glandulas ſecretio, & per tubulos peculiares diſtributio: ad ſanitatem tuendam neceſſaria eſt; unde à multis ſanguinis balſamum vocatur.

XIII.

URINÆ materia proxima eſt ſanguinis ſerum; remota, alimentorum pars aquoſa, cum eorum ſalſis, ſulphureiſque particulis frequenti fermentatione permixta. Sal urinæ ineſt efficaciſſimum. Per mulieris uterum ſingulis menſibus effluit ſanguis, qui menſtruus ideò dicitur. Purgationis ejuſmodi incertum eſt tempus; certa etiam ejuſdem copia definiri non poteſt. Sanguis iſte non ſecus ac quilibet alius laudabilis eſt. Menſtruæ purgationis cauſam à fermento ex utero in ſanguinem tranſmiſſo deducimus.

XIV.

LACTIS materia chylus eſt, qui frequenti cum ſanguine circuitu depurgatus, per mammarum glandulas è ſanguine ſecernitur. Semen in teſtibus conficitur. Ejus materia à ſanguine ex arteriis ad teſtes delato, ac per totam eorum molem diſtributo repeti debet: dum enim ille in teſtium tubulos impingit, ejus rubra pars à cryſtallina ſecernitur: illa per venas præparantes dictas ad cor reducitur; hæc teſtium tubulos pervadit, in quibus ſal ejus volatile vires ſuas exerit, liquorum meatus dilatat, ſpiritus ſuſcitat; ſemenque conficit. A ſale ſemen ſuam habet fœcunditatem.

XV.

LIQUOR, qui in coitu à mulieribus emittitur, non eſt ſemen, nec ad generationem confert. Mulierum teſticuli veſiculis à ſeſe diſcretis conſtant, quæ in ovorum numero jure habentur. Ova tam in recens natis, quàm in iis, quæ conceperunt, mulieribus reperiuntur: in illis quàm minima, in iſtis majora. Generationis inſtrumenta ſunt partes genitales, præſertim verò penis, qui è diverſis conſtat partibus eum in finem conſpirantibus, ut rigeſcere, & ſemen in uterum emittere poſſit; ad ejus erectionem nervi, arteriæ, & muſculi conferunt. A ſanguine penis erectio.

XVI.

A Veſiculis ſeminalibus ſemen, è proſtatis humor ſeroſus in urethram ſimul impellitur. Semen viri ultra uteri vaginam non pervadit, & ex ea paulo poſt excidit, ſed exhalat ſpiritus, qui ſi in ovum incidat maturum, hujus cicatriculam ſubit, & liquorem adeò fermentat, ut ex utroque formentur partes ſingulæ. Eo temporis puncto fit conceptio, quo ſeminalis aura ovi liquores exagitat: hujus liquoris virtus à ſeminis virilis ſpiritu proficiſcitur. Ovi liquores ſuam à ſanguine habent originem.

XVII.

EX parte mulieris facilis eſt conceptio: priùs concipere poteſt, quàm menſtruam purgationem paſſa fuerit. Senior, etiamſi non fluant amplius menſtrua, concipere pariter poteſt. Si ſeminis ſpiritus plura ova matura ſimul fermentent, plures prodeunt fœtus. Sæpe fœtalis eſt ſecunda conceptio,

ſcilicet cùm mulier jam gravida cum viro iterum congreſſa concipit : unde ſuperfœtat mulier, quando uteri os poſt primum conceptum non exquiſitè clauditur, & eo temporis puncto rurſum coit.

XVIII.

EO tempore perfecta eſt partium omnium figuratio, quo embryi motus à matre percipitur, in quibuſdam ſextâ hebdomadâ peractâ, in aliis menſe tertio, ut plurimum circa quartum menſem cum dimidio. Embrium à ſucco nutritio per mulieris uterum diffuſo ſuum habet nutrimentum. Si mulier gravida aliquam imaginem attento contempletur animo, eam ipſam fœtui imprimit.

XIX.

QUANDO mulieris ovum duobus conſtat vitellis ſeſe contingentibus, eâdemque tunicâ incluſis, utrâque ovi cicatriculâ ab aurâ ſeminali fœcundatâ, fœtus naſcitur monſtroſus, bicorpor, biceps, vel bimanus. Partus eſt fœtûs perfecti atque abſoluti editio : ſi ante menſem ſeptimum, & fœtus jam fuerit grandis, appellatur abortus. Menſis ſeptimus primus eſt partûs humani terminus; ante ipſum rarò ſunt vitales: octimeſtrem partum vitalem eſſe ac legitimum contendimus. Novimeſtris omnium vivacior eſt. Quidam partum ad menſem decimum-tertium, alii ad decimum-quartum, nos ad undecimum vel duodecimum prorogari poſſe volumus.

XX.

PARTUS cauſa proxima eſt uteri irritatio, cujus irritationis cauſa multiplex & prima eſt fœtûs motio inſolita, eaque vel à Meconii acrimonia, vel alimenti defectu pendet : ſecunda cauſa eſt fœtûs tum gravitas, tum magnitudo : tertia demùm petitur ab humorum, urinæ ſcilicet, ſuccique nutritii in amnio contenti, ſalſedine. Inſolitæ illius motionis præcipua cauſa eſt neceſſitas, quâ fœtus ad reſpirandum urgetur.

Has Theſes proponebat PETRUS LOISEL DE COURSON, *Thorignaus, Artium Magiſter,*
die Martis 10. *Julii, A. R. S. H. M. DCCXIV.*
ab hora ſecunda ad veſperam.